Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

date, scilicet ecclesie baptismi sanctificati
onem, et novi testamenti fructificatio
nem, per active et contemplative vite opera
tionem. Dixit autem mulier, cuius filius erat
vivus ad regem: commota sunt quippe
viscera eius super filio suo. Obsecro mi
domine, date illi infantem vivum, et nolite
interficere eum. Mulier cuius filius vivus
erat ad regem exclamat, quia sancta ecclesia
pro salute fidelium die noctuque crea
torem exorat. Viscera quippe eius super fi
lio suo commoventur, sicut Paulus de se ip
so protestatur: Preter illa que extrinsecus sunt
instantia mea cottidiana sollicitudo
omnium ecclesiarum. Quis infirmatur,
et ego non infirmor? Quis scandalizatur,
et ego non uror? Et iterum: Filioli mei
quos iterum parturio, donec formetur
Christus in vobis. Sic ergo mater ecclesia com
motis sue miserationis affectibus excla
mat ad Christum pro suis fidelibus, collectis
et colligendis, tam de iudeis quam de
gentibus. Obsecro inquit mi domine,
qui pater es misericordie, miserere filio meo
tuo redempto sanguine. Infantem
vivum illi date, vos scilicet predicatores
evangelii, synagoge populum in fide Christi
vivificate. Nolite eum interficere, po
pulum caath de medio levitarum nolite
disperdere. Caath enim dolens interpre
tatur, per quem synagoge populus in lege et
prophetis inutiliter meditans figuratur. Qui
per moysen de medio levitarum disperdi
prohibetur, per quod scilicet synagoge populus
electis de gentibus quandoque in fide as
sociandus docetur. Levite quippe as
sumpti interpretantur, per quos vocati de
gentibus figurantur. Dum sic mater ecclesia
pro fidelibus suis continui doloris gemi
tibus afficitur, synagoga econtrario loquitur,
que tam sibi quam ecclesie maledictionem in
precatur: Nec mihi inquit nec tibi sit, sed divi
datur. Quicquid enim synagoga in cerimoni
is carnalibus operatur, non ad benedictionem
sed ad maledictionem illi commutatur, sicut psal
mista ei imprecatur: Et oratio eius fiat in
peccatum. Ubi enim anima a corpore divi
ditur, ibi mors operatur; sic synagoge mors
in littera dominatur, cui vivificans spiritus non
suffragatur. Veruntamen iustus et miseri
cors iudex non malignitatem synagoge
contuetur, sed devotioni et pietati sancte ec
clesie miseretur. Unde consequenter hic
subditur, quod rex respondit et ait: Date
huic infantem vivum, et non occidatur; hec est enim ma
ter eius. Rex respondet, cum dei filius devotio
nem sancte ecclesie pro reliquiis plebis iudaice
in fine mundi misericorditer exaudit. Date
inquit huic infantem vivum, scilicet vos predi
catores mei doctrina evangelii vivificate
populum iudaicum. Non occidatur, immo
in extremis suis reliquiis ecclesie pro eo
oranti per unitatem recte fidei vivus et in
columis restituatur. Hec est enim mater eius,
que illum parturivit et peperit materne
compassionis visceribus. Audivit itaque
omnis israel iudicium quod iudicasset rex,
et timuerunt regem, videntes sapientiam
dei esse in eo ad faciendum iudicium. Omnis
israel iudicium regis audit, cum omnis
fidelium populus in die iudicii districtio
nem illam divine equitatis super iudeorum et
gentium vel abiectione vel vocatione re
cognoscit. Regem metuunt, cum distric
tum iudicem in solio iudicii tribunalis resi
dentem electi simul et reprobi omnes pertimes
cunt. Vident sapientiam dei esse in eo ad faci
endum iudicium, dum in ea forma in qua iniuste iu
dicatus est, per irretractabilem sue equitatis sen
tentiam bonorum malorumque vident discutere vitam.